



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi**

**Spinola, Fabio Ambrogio**

**Antverpiæ, 1630**

Cap. VIII. Ab hæreticis captus, in Angliam abuehitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

nonam nostram vniuersam stipe collegimus, neque sanè patiebatur modestia, res quasdam recusari.

## CAPVT VIII.

*Ab hereticis captus, in Angliam  
abuehitur.*

**V**IGESIMA primâ die Augusti è Portorico soluimus, septenûm nauium comitatu cincti. Ego eger à tertianâ duplici, conscendi, quòd nauigationem valetudini conducere existimarent. Eodèmq̃ tempore comes meus morbo tentari cœpit, ut neuter alteri opem ferre posset. Post biduum sœua coorta tempestas est, imbribus permixta, quæ tres alios tenuit dies. Hæc naues egregiè vexauit quidem, me tamen febris in tantâ iactatione deseruit, sed redijt intra dies quinque simplex tertiana, quâ in sextum vsque Octobris conflictatus, nullum deserui officium iniuandis nautis. Classẽ nostram tempestas partita est, coniunximusque nos oneraria Belgicæ, quæ cum aquam rimis acciperet, veheretque Castellanos & Lusitanos nobis amicos, nauis nostræ societatem expetierat; ut si quid nauigio suo fortè euenisset aduersi, ad nostrum se reciperent. Ea res iter nostrum vehementer retardauit, cum lentè nauis illa ferretur, subindeque nos eam opperiendo, decem leucarum iactura

ram



ram die vno faceremus. Cùm ergo opinione longius ea nauigatio extraheretur, aqua, carnes, ceteraque nos annonâ defecit: aquam tamen naçti sumus; carniùm verò loco pisces nobis Diuina munificentia subministravit, quorum in dies ingens numerus nullo negotio capiebatur. Decima septimâ Octobris Terzeras insulas præteruecti, cùm aspiceremus è regione insula S. Marie, quæ postrema est petentibus Lusitaniam, primâ oriente luce Anglicanam nauim vidimus, trium leucarum intervallo sequentem; si velis omnibus fugere voluissemus, assequi quidem difficile nos potuisset; immò præda nauigij, quod iter nostrum impediebat, illius quoque celeritatem retardasset. sed recusabant tres nauis nostræ Rectores, qui triplici sententiâ dissentiebant. Aduentus ergo Anglicana expectatus est, nostrorùmque incauta fiducia, eius se tutela commisit. Adnauigat Anglus, non ita magno atque armato nauigio; & militum tormentorùmque numero licet inferior, nostros tamen animis excedens, primus pugnam lacepsit. Socia nauis ne laxaret rimas, quibus assatim humoris admittebat; raris tormentorum iectibus se tuebatur, cùm peritis iaculatoribus careret, magnæq; existèrent maris vnde, incerto iactu pile omnes differebantur. Duarum horarum proelium fuerat, cùm duo maiora socie nauis vela Anglus diffregit, illaque iam agrè se tueri poterat,



serat, aut hosti, cum ad nos oppugnandos con-  
 tenderet, obuertere sese. Quâ re animaduersâ,  
 Nauarchi nostri tum demum mandare se fugæ  
 constituunt, cum euadendi non esset locus. An-  
 glus namque maioris nauis oppugnatione deser-  
 tã (quam ob nitri pulueris inopiam, quâ preme-  
 batur, expugnare se posse diffidebat) à tergo in  
 nostram incurrit, quam scilicet intelligebat diu  
 resistere non posse. Breuî eâ potitus est, militibus  
 duodenis insilientibus, qui captam occuparunt.  
 Maiorem deinde nocte totã subsequutus, cum nus-  
 quam deprehenderet, nauigij nostri prædã con-  
 tentus, proposito abstinuit. Milites qui primi  
 nos inuaserant, rapuere quidquid inclusum  
 promptioribus sarcinis reppererunt. Atque eorum  
 vnus cellulam meam ingressus, imposito fauci-  
 bus meis pugione, pecuniam, si quam haberem,  
 postulauit: abstulitq; quadringentos illos Phi-  
 lippeos, quos Pontifex Maximus, Iaponijs eleē-  
 mosynæ nomine tribuendos, numerauerat P. Ae-  
 gidio de la Motta. Direptum ab ijs prætereà  
 quidquid clausum habebamus in arculis, quas  
 auidissimè excutiebant, tollendo libros, chartas  
 scriptas, Reliquias, spherulas precarias, Agni  
 cerei bullas, aliãsq; quas habebamus sacras res,  
 nullã, præter vestes quibus tecti eramus, relictã.  
 Sortito suam quisque prædæ partem nacti sunt,  
 vniuersãque inclusere in vnum locum, dum  
 reliquam nauem expilarent, essentque securi.

D                      Sequen-



Sequentis diei exordio Præfectus Clasiariorum metuens alicuius fortè seditionis, nos lembo exiguo impositos deportari in suam iussit; & tantillâ scaphâ per immanes illos tumultuantis Oceani fluctus longissimo spatio navigandum fuit, cum quolibet commota tempestatis fluctu crederemus nos hauriendos. Appulsi, ut eramus vestitu nostro, ad nauem, magnâ humanitate à Præfecto duobusque Nobilibus, qui Latine nos alloquebantur, accepti sumus. His interpretibus interrogati, quâ patriâ, quod genus hominum essemus? ego, non ignarus quanto in hereticorum odio Societas esset, tam insigni exercenda patientiæ occasione latus, professus aperte sum, Religiosos nos esse Societatis, & quidem genere Italos. Contrâ quàm sperabam res vertit, eoque nos illi venerari amplius, meliusque habere, planè ut superem. Vicino sibi loco ad puppim Præfectus collocavit, suisque non raro manibus cibum attulit. Facultatem prætereà dedit commeandi ad nauim nostram, ut Lusitani cuiusdam morientis peccata audirem, qui valetudine impeditus nobiscum trajcere in pratoriam nequiverat. Adhæc aliàs copiam fecit redhibendi chartas meas scriptas, imperio dato, ut omnia mea redderentur: iuuitque ipse, ut Christi Crucifixi religiosum quoddam sigillum mihi restitueretur, cum Agni cerei plagulâ & Reliquijs: res alias alicuius pretij, etiamsi sacras, recuperare



non potui, licet penes Praefectum magnâ parte essent. Non aliò hæc diligentia spectabat, quàm ut earum rerum iacturam sentiremus, quarum nos initio damnum non pupugerat. Nam recepit unus eorum Nobilium (qui hucusque nos magnâ humanitatis significatione habuerat, cuique res nonnullas dederamus, factâ nobis reddendi sponsione, in gratiam matris suæ Catholicæ, cum in Angliam fuissimus reuersi) se seruaturum in arcâ omnia, redditurumque iuratâ fide: sed is redux scilicet, tam nobis quàm DEO fidus fuit: sibiq; & impressos libros & rem omnem sacram vendicauit. Nauigio Praefectus, intellectu prædam aestimari vigintiquatuor Philippeorû millibus, iam nulli alteri nauali prædâ inhiabat, veritus ne in bellicas fortè Hispani Regis incideret; domumque secum omnes, etsi magno impendio, abuehere decreuit. In ipso faucium aditu semel iterumque magnâ fuimus tempestate iactati, eaq; re retardati in cursu; vnde corrupto cibario pane, acidâque cereuisiâ vitam tolerauimus. Denique 5. Nouembris Arthmudum, festâ totius vrbis latitiâ, Praefectiq; gratulatione, appellimur. Is prædâ in tuto positâ, gestiebat, cui adeò scilicet timuerat, ad veli cuiuscûq; seu hostilis seu sui conspectû, cum utrosq; equaliter vereretur. Toto eo die multis spectaculum præbuimus, qui aut visende nauis, aut salutandi Ducis studio adueniebant. Sequenti die



cum venti posuissent, in patriam Atapson, distantem sex leucarum itinere, discedunt, attinguntq; sub Occasum. Praefectus, singulos à se diuersos diuersis hospitijis distinxit, diurno duorum regaliu pretio in capita singuloru numerato, ut nihil nos deficeret. Viriq; nostrum conclave separatum attribuit, in quo & cibum sumere, & Religionis sacra obire munera, nullo conscio, possemus: ceteris certe omnibus liberalius nos accepit. Magni è vicinis oppidis conuentus Nobilium, mercatoru, ad Praefectum facti sunt: illis aduolantibus ad gratulandum viro insigniter nobili tam opimam praedam, alijs ad emendas celerrime merces festinantibus. Cum de nobis esset intellectum, ad nos quoq; visendos solandosq; in aduerso casu accurrere; praecipue qui Latinam, Hispanam Italicamve callebant, aut in Italiam nauigarant. Audito nos esse Italos, singulari letitia significatione dicebant, vel hoc nomine quam humanissime tractandos esse, quod solerent Itali in exteros omnes vicissim esse prolixi. Nonnulli deinde, propositis de Religione questionibus, beneuole disputabant; nec pauci eam ratione fuerit dedocti, quae, Praeconum suorum adducti mendacis, de Religione nostram sinistre existimant, circa Imaginum venerationem, improboru cum DEO reconciliationem, Sanctorumq; cultu. Nec defuere qui Catholicos se esse professi, stipem nobis largiebantur. Alij in suis nos domibus inuitabant.



tabant. Erant & è primâ Nobilitate femina  
 Catholica, quæ alloqui nos desiderabant; qua-  
 rum extra vrbes (vt sola degant) domicilia vi-  
 suntur, quâsq; vel ipsi hæretici, ob effusam quâ  
 egentibus subueniunt charitatem, obseruant at-  
 que amant. Complures optabant quidem pa-  
 ria facere, sed veriti ne innotescerent, dissimu-  
 labant; in quibus fuere multi Dignitate Nobi-  
 litatèque illustres. Nos aut Londinum eun-  
 di, aut alterius alicuius portus quarendi fa-  
 cultatem, Præfectum orabamus, vt Vlisiponem  
 repetere liceret. Frustrâ adhibita fuere  
 preces, cùm suspicaretur res meas me vindi-  
 care velle; vel in Angliâ ad firmandos Ca-  
 tholicorum animos, vulgandâque Religionem  
 nostram mansuros vereretur: quæ res si eru-  
 pissent, ipse scilicet decretâ Senatus Consulti  
 pœnâ admissum erat luiturus. Quare ne ad  
 interiorem aliquam Angliæ ciuitatem excu-  
 reremus, studio cavit; quantumuis consangui-  
 neorum amicorûmque flagitationibus sollicita-  
 retur, quibus inexorabilem penitus se præ-  
 buit; non ignarus, multos esse quâ publicè  
 quâ priuatim Catholicos, qui bonâ pecuniâ  
 summâ legem, quâ hæreticorum adire sacra  
 alioqui cogentur, redimunt, vsûmque habent  
 exercendæ domi Religionis. Ego certè auidis-  
 simè cupiebam vel semel in Angliâ Sacris  
 operari: sed quantò nos id cupidiùs contende-  
 D 3 bamus,



hamus, tantò ille sinisteriùs opinabatur; imperabatq; ne laxiùs milliari ab urbe, in quà eramus, vagaremur.

## C A P V T I X.

Discessus ex Anglià, & appulsus ad  
Ulisiponem.

**I**N hisce rerum angustijs, libertatisq; nostrae  
ambiguitate, cum DEO deliberauimus quid  
potissimum nobis esset ex illius glorià statuen-  
dum; ac consentientibus sententijs censuimus,  
preferendam esse primam Missionem, ac primo  
quoque tempore Ulisiponem repetendam; cum  
neque gentis Anglicana linguam teneremus, ne-  
que spes affulgeret martyrij pro Christo obeundi,  
utpote exteris, qui & facile deprehendi possi-  
mus, neque nostrà voluntate eò venissemus.  
Quod consilium si nos falleret, per Franciam  
terrestri itinere Ulisiponem contenderemus,  
postpositis occasionibus omnibus reuisenda Ita-  
liae, quam adire, non esse è re nostrà ducebamus.  
Quia verò per loca haeticis infesta, & hiber-  
no tempore pedibus erat proficiscendum, vestes  
longiores, quàm potuimus arte nostrà, in Anglo-  
rum Gallorumve morem resetas commutau-  
imus, sic aduersus frigora tecti; calceis insuper,  
tibialibus, femoralibus, & Anglicano pileo à  
Praefecto donati fuimus. At mox Praefectus,  
veri-